

1509 di, magnam difficultatem atque moram afferebat: simul equites Epirotæ, quorum erat cum magnus in oppido numerus, tum virtus atque industria singularis, improvisis incursionibus neque die neque nocte ullam hostibus quietem relinquebant, quotidieque cum præda cumque capti-  
Hostium copia in Maximiliani castris.  
 vis in oppidum revertebantur. Unum fuit magno usui, quod plurima eo tempore ad Maximilianum auxilia con-  
 venerunt: nam & Aloisius rex, duce homine impigro, qui Palitiæ principatum obtinebat; & Julius Pontifex Maximus, & Alfonsus Ferrarensium dux magnos equita-  
 tus & peditatus ad illum miserunt. His præerant ab Ju-  
 liu Ludovicus Picus, qui bello Mirandulam fratris oppi-  
 dum occupaverat: ab Alfonso Hippolytus ejus frater, qui  
 erat in Cardinalium collegio, magna animi ostentatione  
 vir, magna sui confidentia, bellicarum rerum non igna-  
 rus. Venerant eodem præter hos omnes fere Itali aliarum-  
 que nationum principes suis expulsi regnis cum ea copia,  
 quam cogere majorem potuerunt: præfecti centurionesque  
 cum turmis cumque militibus sua etiam sponte plerique.  
 Ex Germania vero Galliaque Maximilianus ingentes co-  
 pias adduxerat cum ex omnibus prope regionibus, tum  
 vero ex Sequanis optimum & plenissimum equitatum: ut  
 universum ejus exercitum octogies millies hominum nu-  
 merum supergressum opinio tenuerit.

Ad quem quidem Veneti sustinendum nihil non curæ  
 diligentiaeque jampridem adhibuerant. nam & sat magnam  
 bonorum militum manum ad se confluentum, & equita-  
 tum utriusque armaturæ, quanto opus erat, Patavium  
 intulerunt, eisque tribunos & præfectos fortissimos lectis-  
 simosque homines dederunt: & omnes fere navalium ur-  
 banorum operas, quas antea oppido recuperando eorum  
 magistratus Patavium subvexerat, iterum eo redire vo-  
 luerunt, permanereque, quoad oppidum defendi opus es-  
 set. Præter hos sagittariorum e plebe urbana, atque ab Epi-  
 ro Græciaque plurimis cohortibus evocatis, dato stipendio  
 idem uti facerent mandaverunt: ut essent milites omnes nu-  
 mero ad millia quatuordecim, equites cataphracti ad sex-  
 cen-